



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri  
Disertissimi, Opera quæ exstant omnia**

**Sadoleto, Jacopo**

**[Francofurti], 1607**

III. Iac. Sadol. Episc. Carpent. B. Accolto S.R.E. Cardinali S.P.D.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69244)

## II.

BENEDICTVS ACCOLTVS S. R. E. CARDI-  
nalis, Iacobo Sadoleso Episc. Carpentoralli S. P. D.

**N**ihil gratius, nihil iucundius accidere mihi potuit tuis li-  
teris. Tum quod eas legens videbar tecum esse, quem lo-  
quentem audire semper mihi magna voluptati fuit: tum quod  
erant plenissima & officij, & humanitatis, cum preclara signifi-  
catione tua erga me voluntatis. Quae etsi mihi iam antea praes-  
pecta erat, tamen quod eandem illam absens ostendebas, quam  
omni tempore praesens declaraueras, fuit mihi summo opere gra-  
tum. Non quod de tua constantia dubitarem: sed illius commo-  
datione sum maxime delectatus. Ego autem, quod praeclearum  
nosse debes, te ab ineunte aetate dilexi, fecique semper plurimum,  
neque solum excellentem illam doctrinam tuam, sed grauitatem  
etiam, & prudentiam sum admiratus. Et, quod iudicium  
meum fuit de virtute tua, te vnum mihi in omni vita ab immiti  
imitandum proposui. Quod si eo quod tendebam, accedere non  
potui: tuum tamen in me studium cum paterna benevolentia  
coniunctum, in eo nunquam defuit. Quae res ita in animo meo  
residet, meque ita admonet, vt me tibi plurimum debere pro-  
tear. Quod cum ita sit, persuasum tibi esse potest, omnia quae  
cunquam in me sunt, quemadmodum etiam dixi tuis, ad commo-  
da & dignitatem tuam prompta esse, atque parata: meque nu-  
lum vnquam officij genus praetermissurum, quod vsui possit esse  
tuis rebus. Tu quum persunctis magnis laboribus, eo te recep-  
ris, vbi arbitrato tuo in literis, & cum dignitate viueres, non pos-  
sum non probare curam istud tuum, quod & tibi honestissimum,  
& nobis fructuosissimum est futurum. Sed scito, res nostras huic  
te maxime desiderare: quibus profectio si adesses, plurimum opte-  
rari posse virtute tua. Et mihi imprimis gratissimum faceret,  
cuius ego quotidiana consuetudine, hominis omnium praestanti-  
simum, quam familiarissimè vti vellem. Sed viro prudenti non  
audeo consilium dare. Patruus meus tibi salutem reddit. Vale.  
me quod facis ama. Romae XII. Calend. Iulij, M. D. XXXIX.

## III.

IAC. SADOLO. EPISC. CARPENT.  
B. Accolto S. R. E. Cardinali S. P. D.

**N**ihil recorder permultis hisce annis mihi accidisse gra-  
tius, neque optatius, quam tuas nuper literas: plenissimas  
enim fuerunt amoris, suauitatis, officij. Quodque ad praeclearum  
iam



sim laudem tui prestantis ingenij pertinet, eo modo scripta, ut  
 parum aut elegantius, quod me legisse meminerim, habeam pro-  
 fectum nihil itaque duplici ex illis gaudio affectus sum. Nam cum  
 omnis tua erga me voluntatis significatio pergrata: tum verò  
 orationis nitore, & verborum ac sententiarum venustas, quam in  
 scribendo adhibuisti, mihi vehementer iucunda extitit. Simul  
 enim intelligebam legens, & quam tu de me amicè honorificèq;  
 sentires: & in eo explicando, quam tu existeres dignus, ut de te ab  
 omnibus preclare ac mirabiliter sentiat. Nam illa tua dulcis  
 commemoratio superiorum temporum, repetita propè ab vlti-  
 mo, de perducta in hoc vsque tempus, cum illustri reificatione  
 tui de me iudicij, perpetuaq; opinionis, tantam mihi letitiam  
 attulit, & voluptatem, ut eam verbis consequi non possim. Planè  
 enim percipio, id quod his temporibus rarum est, in homine  
 presertim potente, firmam manere apud te amicitia fides, per  
 quam amici, quamvis absentis, memoriam benivolentiamque  
 conferunt. Sed profectò illud verum est quod dici solet, eum qui  
 bene à natura ad amplexandam laudem constitutus sit, omnes  
 facile in animo comprehendere virtutes. Quam ego ingenij in-  
 doctum te intuens, iam tum à primo, cum etiam penè puer me  
 tibi adiunctum in amicitia esse voluisti: cœpi sperare continuò  
 magna, eaq; de te feci iudicia, quæ postea euentu ipso compro-  
 bata sunt. Etsi in eo quidem decepti fuimus, quòd spem  
 opinionemq; nostram, tuamq; vnà artem, virtus ipsa in te lon-  
 gè antecessit. Verùm hæc ad exponendum longius fortasse tem-  
 pus te copiosorem desiderant orationem. Quæ autem sunt of-  
 ficij, & exposita alias sunt, & nunc breuiter sic exponantur: ut  
 scias, nihil mihi esse magis in optatis, quam tibi persuasissimum  
 esse, me inter tuos, qui pro tua dignitate & summa liberalitate  
 permulti sunt, maximè omnium esse tuum. Id quibus alijs offi-  
 cium possit declarari, si sciuero, non committam ut meum vilo in  
 loco studium requiratur. Hoc quidem ipse per me prestabo sem-  
 per: atque efficiam, ut neq; singularium tuarum laudum com-  
 memoratiorem, neque tuorum de me meritorum memoriam,  
 quæ eadem hoc recente testimonio tuæ erga me tanta volun-  
 tatis cumulatæ sunt, illa vnquam mihi ex animo aut ex ore atas  
 delectet. Quòd si hoc otium, quo ego maximè delector, & quod  
 tu, quamquam te consuetudinem meam desiderare præ te feras)  
 non probare tamen non potes, Deus mihi fortunauerit: dabo  
 operam profectò, ut me neque in amore, neq; in fide amicitia,  
 posthæc ferre partem aliqua in re intelligas. Vale, & nos  
 abhærentes tuere. Carpentoracti, XVIII. Calend. Se-  
 ptembris, M. D. XXIX.